



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de
Stevartius, Petrus**

[Ingolstadt], 1576

Magnifico Ac Generoso Domino D. Antonio Fvggero In Kirchperg, &
VVeissenhorn Baroni, Domino suo & Patrono colendissimo S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

MAGNIFICO AC
GENEROSO DOMINO

D. ANTONIO FVGGERO IN

Kirchperg, & VVeiffenhorn Baroni,

Domino suo & Patrono

colendissimo

S. P. D.



QUIBVS machinis sanctissimam Christianæ disciplinæ veritatem, iam inde ab Apostolorum temporibus, perditorum hominum operâ, humani generis, perennis inimicus Satanas oppugnet: tibi, generose domine Antoni, in primis perspectum, atq; cognitum esse existimo. Vt enim veterum annalium monumenta, quorum studiosissimus es, non extarent: misera certè horum temporum calamitas, ac tristissima Germaniæ facies, clariùs id testantur, quam vt narratione longa sit opus. Quemadmodùm autem idem ille hostis noster acerbissimus, nihil æquè homini inuidet ac diuinam gratiã, ex qua ipse miserabiliter ad omne tempus excidit: ita nullum ferè est Christianæ religionis caput, quod tantopere labefactare conetur. Videt enim eò difficiliorem aditum hominibus ad Dei gratiam futurum, quò salutarì huic doctrinæ densiores

A 2

tene-

tenebras offuderit. Itaq; nihil mirandum est: tamen
magnoperè dolendum, eius Satanici furoris admi-
nistros, quorum in Germania non exiguus est nu-
merus, tantum studij in hac materia obscuranda cō-
sumere. Ergo operæ precium iudicavi, (cū mihi
in percelebri & Catholica Ingolstadiensiu Aca-
demia certamen pro Licentiæ Theologicæ cōsequen-
dæ laurea, ineundū esset) de eadem gratia diuina di-
sputationem suscipere. Qua quidem in re, mihi ge-
rosæ D. T. patrociniū in primis vtendum esse pu-
taui: vt cuius singularis eruditio, & inuitatus olim in
vrbe erga me affectus, ad Philosophiæ & SS, Theo-
logiæ studia, mihi calcar addidisset; eius nunc defen-
sio, disputationis susceptę partes tueretur. Spero au-
tem generosam D. T. pro singulari sua erga me hu-
manitate, hoc, quicquid est, memoris animi indicū,
beneuolo quoq; animo accepturam: quam etiam at-
que etiam rogatam velim, vt spacium præteriti tem-
poris memoria repetēs, Steuartio suo iam, nō minus
quàm olim, fauere pergat. Valeat generosa D. T.
Datum in Episcopali Collegio Eystadiensi, Calend.
Decemb. Anno M. D. LXXVI.

T. G. D.

Addictiss.

Petrus Steuartius Leodius.